

thedrali? ut quaedam pauperrima sacerdotia annuis redditibus ditarentur egisti; ut capella amplissima, ac magnificentissima ad S. Sacramentum asservandum excitaretur aere tuo curasti. Mirantur illam omnes, et tot peregrinis marmoribus, egregiis picturis, toreumatibus, aureis ornamentis, ita ad omnem elegantiae, ac majestatis formam compositam, ut non solum splendidissimae D. Guidonis Capellae e regione positae optime respondeat, verum etiam ut in illustriorum, quae in nobilissimis civitatibus visuntur, numero haberi merito possit.

Mitto plura in tui laudem efferre, eaque praesertim, quae in Monregalensi Ecclesia te cunctis gratiosum, ac spectatissimum reddunt, tum ne forte hanc laudum tuarum partem historiae Monregalensis Ecclesiae scriptoribus praeripiam, tum ne modestiae tuae ab omni laudatione abhorrentis majorem vim afferam. Illud unum pro certo affirmare possum, in tua semper laude posteros habuuros, te auspice ac suffragatore, multa historiae Aquensis, ac finium regionum, eorumque qui ibi civilibus, sacrisque rebus plurimum auctoritate, potentiaque pollebant documenta e tenebris in publicam lucem educta, ac ne ut multa alia casibus incertis perirent, operam, auxiliumque praebuisse. Optarem equidem, ut meus hic labor tui nominis amplitudini, ac dignitati responderet; at quoniam tantum mihi sumere non audeo, illud a te vehementer peto, ut voluntati ac desiderio tibi obsequendi, antiquissimam, ac florentissimam Ecclesiam illustrandi, tibi me erga te animi, ac beneficiorum tuorum perpetuo memoris aliquod monumentum dicandi, aequi, bonique consulas. Excipe igitur primum mei operis volumen, quod in tuis aedibus coeptum varios fortunae casus subiit, tua liberalitate locupletatum, pertinaci voluntate ad exitum deductum; atque hoc ad Moece-natem suum properans foveto, dum interim ad secundum jam magna ex parte impressum ultimo perficiendum me vertens, ut quam citius contum, atque ornatum se coram te prodat, qua potero sollicitudine, ac diligentia satagam.

Taurini nonis augusti MDCCLXXXIX.

Obsequentissimus, tuique Addictissimus  
Johannes Baptista Moriondus.